

P R Æ F A T I O D.
 PHILIPPI MELANTHONIS
 IN OPERA CLARISSIMI MATHE-
 matici Ioannis Schoneri Caroloſtadij.



VM INITIO BELLI PE-
 loponesiaci Pericles instructa ingenti
 classe à litore soluturus esset, in illo ipso
 articulo cum in suam triremem ascen-
 dit, conspecta est tanta Solis eclipsis, ut
 penè tenebræ nocturnæ medio die exi-
 sterent, & stellæ conspicerentur. Terri-
 tus igitur tanquam prodigio governa-
 tor, ut reliqua multitudo, nauigare re-
 cusauit. Hic Pericles seu uerè contem-
 nens astrorū minas, seu simulans con-

stantiam, ne langueretur animos militum, pallio suo texit governa-
 toris oculos, ac paulò post remoto pallio, interrogat, num putet aliquid
 portendi, quòd oculi exiguo tempore tecti fuerint, nec tamen læsi sint.
 Cum respondisset gubernator de pallio, nihil mali esse quòd pallium
 paulisper admotum esset oculis; Ita, inquit Pericles, nec Soli, aut naturæ
 rerum aliquid mali accidisse, aut significari putes, etiam si Luna in eum
 incurrens, paulisper conspectum eius hominibus ademisset, ac soluere
 iubet, & bellum Græciæ inferre, exitiale primum patriæ, deinde & uni-
 uersæ reliquæ Græciæ. Opinor autem multos esse, qui laudent hoc iu-
 dicium Periclis. Sed nimis tristes pœnas uniuersa Græcia huius auda-
 cissimi iudicij dedit.

Cumq; omnium seculorum exemplis compertum sit, res tristes ac in-
 signes ciuitatum, aut regnorum ruinas, quasi denunciari luminum cœ-
 lestium defectibus, seu obscuratione, ferrei animi est, significationes di-
 uinitus in natura ordinatas superbè ridere ac contemnere. Semper aut
 cum de cæteris artibus quæ literis continentur, & de uitæ doctrina, imò
 etiã de illo ipso doctrinæ genere, in quo se Deus æternus pater Domini
 nostri Iesu Christi illustribus testimonijs patefecit, magnæ iudiciorū dissi-
 militudines fuerunt. Quare de artibus, non ex omniū exemplis qui eas
 contemnunt, sed ex firmis rationibus & testimonijs iudicandum est.

Ac ut de cæteris artibus nō dicam. Dux sunt partes doctrinæ de astris,
 quarū altera certissimas leges motuū ostendit, altera ^{PLURIMÈ} seu Diuina-
 trix monstrat siderum effectus, seu significationes. Etsi autē prior pars
 ex manifestis demonstrationibus extructa est, & utilitatē hanc insignem
 & omnibus notam continet, ut anni metas certas, & partiū anni iustam
 descri-